

sessione, nisi a tempore in antea quo agere potuit vel posset, set a dicto tempore in antea quo agere potuit vel posset ¹⁾ prescriptio incurat sive incipiat curere in eius preiudicium. Insuper nullum sit preiudicium alicui, nec aliqua supradicta prescriptio curat contra aliquem habentem aliquam terram 5
vacuam tam in civitate Tergesti quam eius districtu vel ali-
209 B quam // aliam possessionem, si aliqua persona per talem ter-
ram sive possessionem continuaverit aliquod iter in eundo et
redeundo. ¶ Si vero quis civis Tergesti tenuerit et possiderit
possessionem aliquam vel rem in quieta tenuta et possessione 10
continue et successive per se vel suos auctores, a quibus talis
possessio vel res eidem pervenerit, per triginta annos, compu-
tatis in hiis etiam quindecim annis supradictis, dato quod
talis possessio vel res foret sive fuisset comunis vel aliquarum
aliarum personarum, talis possidens efficitur dominus illius 15
possessionis vel rei taliter et sic ²⁾ (talis possessio vel res pre-
scripta) quod nec comune nec alia singularis persona, cuius-
cunque conditionis existat, una vel plures, illam possessio-
nem vel rem a tali, qui sic possiderit per triginta annos, auf-
ferre vel accipere possit aliqua occasione vel exceptione sive 20
causa.

Cap. XXV. Rubrica de habentibus minus ter-
cia parte alicuius possessionis. R.ca.

Ordinamus quod quicumque habuerit terram vel possessio-
nem aliquam, de qua ipse haberet minus tertia parte, 25
si eam partem minus tertia vendere voluerit, eam dare et ven-
dere teneatur illi qui circa ipsum possidet emere volenti et
danti ³⁾ tot precium pro ipsa quod quilibet alius dare iuste
voluerit, et ius propinqui sit cassum et vanum in hoc casu.
¶ Si vero aliquis habuerit aliquam possessionem cum aliquo, 30
de qua minus quarta parte vel quartam partem tantum ha-
210 A buerit, si ille, // qui tres partes illius possessionis habuerit,
voluerit illam quartam partem vel minus emere, remaneat in

¹⁾ Agg. marg. *vel po.*

²⁾ *sit.*

³⁾ Aggiunta marginale.